Epistola 290.

Celeberrimo Theologo Johanni Coccejo Christophorus Wittichius S. P. D.

Recte accepi tuum, Vir Magne, libellum de Vet. T. et Lege Mosis, associatum humanissimis literis tuis, quae omnia pro singulari tui erga me favoris habeo signo. Cum autem ea conditione donaveris, ut qualecunque meum judicium de eo transcriberem, distuli hucusque gratiarum actionem, donec eo perlecto simul, quid de istis rebus mihi videretur, significare possem. Injecerunt autem moram grandem tum labores publici, qui circa dies caniculares solent augeri, praesertim in hujusmodi Academiis, ubi unus debet obire munus, quod alibi inter plures distribui solet: tum quod exspectandum judicarem, donec doctissimi tui defendentis Dn. Momma disputationis fieret copia. Quâ factâ per Dn. Constantium tuum antehac discipulum, pastorem nostrae urbis, et hanc et animadversiones tuas sedata mente perlegi. Utrumque autem scriptum majorem in modum mihi placuit. Respondentis tui, quia genuinum tuum discipulum agnovi, et magno cum judicio congessisse, quae passim in solidissimis tuis scriptis ad istam materiam facientia conspiciuntur, ut ea ab ipso in succum et sanguinem sint conversa, et propria ipsius sint facta. Miratus autem sum valde, ea quae attendentibus ad Scripturam (ad quam intelligendam feliciter tua legentes deducis) extra omne dubium videri possint, et ab ipso Defendente satis commode ex Scripturis sint demonstrata, occasionem praebuisse quaesitori eas quaestiones proponendi, ad quarum plurimas in ipsa Disputatione data fuerat responsio ratione munita; neque judicare possum ab animo sincero et affectuum vacuo ista potuisse proficisci. Gaudeo tamen hoc nomine, quod occasio tibi, Vir Celeberrime, vel sic fuerit exhibita, summatim et conjunctim ea proponendi, quae ignaris fontium, unde desumta sint, nova et veris gratia non solent apparere. Inprimis quod sic ostendi potuerit, quantopere haec tua a perversis Socinianorum dogmatibus distent, prout accurate a te demonstratum video. Sed non satis percipio ea quae pag. 110 contra Socinianos urges: Si vita non perennis, sed longa intelligitur, potius erit homo bonum exspectans ut mercedem obedientiae desiderare abolitionem tanquam melius vitâ etc. Non enim videntur haec recte sequi. Quid si enim exciperetur, hominem primum pro obedientia exspectasse longam vitam, non aliud; et, si eam consecutus fuisset post praestitam obedientiam acquiescere in ea debuisse, quamvis istam vitam mors subsequeretur: neque enim plura Deus tenebatur homini rependere, quam vellet; cum respectu Dei considerata mera creatura nihil quicquam proprie mereri possit. Etiam scrupulus haeret circa ea, quae ex tuis de sabbato lucubrationibus Respondens desumta tractat th. 22. Scil. Gen. 2, 3 sanctificatio diei septimi explicatur a vobis de sanctificatione hominis, quod oblatum fuerit, hominem factum esse ad id, ut esset ad gloriam Dei, et ut illum diem omnesque subsequentes ad gloriam Dei impenderet. Nonne hoc nimis contortum est? nonne simplicius, si dicamus prolepsin esse; et sanctificationem diei septimi (de qua Gen. 2, 3) non fuisse primi diei septimi, sed ejus qui Exod. 16 in sabbatum fuit institutus. Sed nec ex eo quod Deus nihil creavit post hominem, non videtur sequi, omnes ob propter hominem esse creatos, nisi hoc dicamus: Quod est ultimum in executione esse id, cujus gratia omnia sunt, quod verum non videtur. Haec duo sunt in quibus haereo, quae tibi proponenda duxi, ut me erudires: discendi enim cupidus sum. Non igitur dubito, quin hanc meam libertatem aequi bonique sis consulturus, et per occasionem ad ea responsurus. Caeterum pro munere literario gratias ago maximas; gratum enim mihi, quidquid sit cognoscere, quod me dignum habeas tuo favore et benevolentia, quam omnibus modis demereri ulterius conabor, omnique occasione ostendam, me esse Nominis tui Celeberrimi cultorem devotissimum. Vale et vive diu incolumis bono Ecclesiae, quae multum tibi debet. Dabam Neomagi 4 Julii Anno 1663.

Ep. LXVIII. 2.

Responsum in Epistola xcix. ante edita.

Myn Heer

Myn Heer Johannes
Coccejus D. ende
Professor in de Theo-
logie in de Aca-
demie
by de man
tot
Leiden.